



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 78. Num consensus in copulam carnalem sit de essentia Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

quo se invicem sibi mutuam in corpora potestatem concedunt ad usum matrimonii. Matrimonium vero sumptum formaliter pro vinculo ipso permanente (cujus causa efficiens est dictus contractus) seu per modum status perdurantis post dictum consensum seu contractum, definiti communiter lolet juxta *L. 1. ff. de ritu nupt. & cap. illud. de præsump. maris, & fœminæ* (intellige, quæ sunt personæ legitimæ nullo impedimento ligatæ) conjunctis individuum vitæ societatem retinens. Sanch. *l. 2. de matr. d. 1. num. 1. Pont. l. 1. de matr. c. 2.* Jam verò, cum contractus ille seu matrimonium causaliter (in fieri, non in facto esse, ut dicitur paulò post) elevatum sit à Christo ad rationem Sacramenti, quæ tale sic rectè definitur: Contractus viri ac fœminæ legitimus, quò mutuo traditur potestas in corpora, gratiæ habitualis collativus. Tolet. *L. 7. sum. c. 5. & ex eo Pont. l. c. nu. 10. Castrop. l. c. n. 2.*

Quæst. 78. Num consensus in copulam carnalem sit de essentia matrimonii.

R Esp. Consensus formalis ac directus in ipsam copulam non est de essentia matrimonii; sed solum consensus directus in potestatem, seu jus habendi, seu obtinendi copulam, seu utendi corpore alterius, ita ut consensus matrimonialis expressè, formaliter ac directè pro objecto habeat non ipsam copulam, sed solum implicitè, remotè, ac virtualiter, seu in radice & causa, quatenus fertur directè in dictam potestatem & traditionem mutuam corporum. Sanch. *l. c. d. 28. n. 3. & 4. Pirh. l. c. n. 69.* Unde jam sicut consensus ille in dictam traditionem & potestatem, ita & matrimonium subsistere potest cum intentione non consentiendi expressè in copulam, non tamen cum expressa exclusione copulæ; ut si mulier diceret viro: consentio in te, ita tamen, ut me carnaliter non cognoscas; Foret enim matrimonium hac ratione invalidum; cum talis conditio adjecta non tantum repugnet generationi & copulæ, sed etiam potestati ad copulam, ut docet D. Thom. *in 3. p. in supplement. q. 48. a. 1. ad 3. Pirh. l. c. citans Tanner. d. 8. q. 3. du. 2. n. 12.* Atque ex hoc etiam patet qualiter B. Virgo adstricta voto castitatis, eo illaso, & non lædendo contrahere potuerit cum D. Josepho verum matrimonium, nempe tradendo illi corpus suum ad usum, & contentiando in dictam potestatem, non tamen consentiando in actum secundum, seu usum corporis sui, & potestatem illius. Poteratque Virgo Sanctissima etiam vi contractus matrimonialis cum Josepho initi obligata ad reddendum debitum, si ille hoc petivisset; quia revelante Deo secunda, & certa erat, illum nunquam illud petiturum, aut usurum dicta potestate. Castrop. *n. 3. Pirh. l. c. Laym. l. 5. sum. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 3.* Patet idem ex his, qualiter verè conjuges durante matrimonio consummato (nempe de mutuo consensu in religione approbata) non possint petere & credere sibi debitum; quia verè retinent potestatem illam, sed impeditam ob votum castitatis, sicut, si à superiore ob causam illis prohibita esset copula. Unde, si contra votum vel talem prohibitionem haberent copulam, non peccarent adhuc contra justitiam, cum utantur re propria. Ita Castrop. *l. c. n. 3.*

Quæst. 79. Quotuplex sit matrimonium.

R Esp. Est triplex, legitimum, quod legitimo consensu seu secundum leges inter personas ha-

biles contractum. Quale fuit tam in lege naturæ, quam gratiæ. Estque modò adhuc inter infideles, quod solvi potest favore fidei, uno ad fidem converso, altero remanente. Ratum tantum, quod inter fideles contractum habet rationem Sacramenti, non secutià copulæ carnali. *c. quanto. de divorzio.* Quod solvi potest professione religiosa consummatum, quod accedente copulæ carnali est perfectum & completum, adeoque nullatenus dissolubile. Sanch. *l. 2. de matrim. d. 1. n. 9. Castrop. n. 4.* dicens, hinc quoque triplicem oriri significationem matrimonii, nimirum quatenus est legitimum, significat conjunctionem Christi cum anima per gratiam, Quatenus est ratum, conjunctionem Christi cum tota Ecclesia per Baptismum. Quatenus consummatum, unionem hypostaticam Christi cum humanitate, sed de his infra accuratius, ubi de solubilitate & indissolubilitate matrimonii.

Quæst. 80. An & qualiter institutum matrimonium.

1. **R** Esp. primò: In ratione contractus & in officium naturæ probabilius est, institutum esse à Deo, dum Adamus & Eva creati; eù quod eo ipso illis fuerit concessum, posse matrimonium contrahere, & sibi invicem tradere potestatem in usum corporis. Pont. *l. 1. c. 3. an. 3. Valq. de matr. d. 1. c. 3. Castrop. l. c. n. 5.* contraxisse verò videntur primi parentes actu matrimonium ante peccatum in officium naturæ; hoc est, in generis humani propagationem, quod post peccatum fuit quoque in remedium concupiscentiæ; dum Adamus dixit Evæ: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea;* Eva è contra, ut credibile est, alia similia verba proferente.

2. **R** Esp. secundo: In ratione Sacramenti fuisse institutum à Christo, certum est, prout definitur à Concil. Florent. in decreto fidei post ult. Sess. à Trid. Sess. 24. c. ult. D. Thom. 2. 2. q. 100. n. 2. Sanch. *l. 2. d. 4. Valq. c. 4. Pont. l. 1. c. 5. per tot.* & alii plures apud Castrop. *n. 6.* quondam autem sit institutum, non satis est certum. Sanch. *l. c. Laym. l. c. c. 2. n. 1. Pont. l. c. c. 6.* quos sequitur Castrop. *n. 6.* putant illud fuisse institutum, *Matth. 19.* ubi ejus inseparabilitatem præcepit, & commendavit Christus, juxta quod insinuat Trident. *Joan. 2.* verò in nuptiis Canæ Galilææ non tam à Christo institutum, quam instituendum approbarum fuisse. Alii verò ut Tanner. putant, institutum fuisse intra 40. dies, quibus Christus post Resurrectionem suam conversatus cum Apostolis.

Quæst. 81. An matrimonium sit verum Sacramentum.

1. **R** Esp. primò: Matrimonium in lege naturæ & Mosaicæ non fuit propriè Sacramentum; quia non habuit virtutem sanctificandi conjuges, sed merè contractus naturalis, et si dici possit habuisse rationem aliquam Sacramenti improprietate, quatenus aliquo modo figurabat conjunctionem DEI cum homine per gratiam, vel etiam Christi cum Ecclesia, Sanch. *l. 2. d. 7. n. 2. Castrop. p. 2. nu. 1.* cum communi.

2. **R** Esp. secundo: Matrimonium infidelium seu non baptizatorum non est Sacramentum; cum Baptismus ex institutione Christi sit janua omnium Sacramentorum, sine quo nullum Sacramentum subsistit, ut Trident. in decret. de Baptism. His non obstante, quod in c. veniens. de Clerico non baptiz. dica-